DE HÆMORRHAGIIS IN GENERE DISSERTATIO INAUGURALIS...

Antonio medico Folli (medico)

Digitized by Google

DE
HÆMORRHAGIIS IN GENERE

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRÆSIDIS FACULTATIS MEDICÆ SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D.RE CAMILLO PLATNER

MEDIC. LEGAL. ET POLIT. MED. PROF. ORD.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

MENSE APRIL. ANNO 1845

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

FOLLI ANTONIUS

EX PUEGNAGO IN PROVINCIA BRIXIENSI

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

P... UNIONE MEDICHIR. FARMAC. IN ...NEZIA

Digitized by Google

522

Digitized by Google

OPTIMO AVUNCULO

ALOYSIO FOLLI MEDICINÆ DOCTORI

AMORIS REVERENTIÆ

ET GRATI ANIMI CAUSA

SACRAT

HUMILLIMUS NEPOS.

Digitized by Google

524

Digitized by Google

451

MORBI IDEA AC DIVISIONES.

Haemorrhagia a pathologis vix non omnibus audit profluvium cruentum morbosum ex systemate vasorum. Dantur reapse quaedam profluvia cruenta etiam in statu physiologico, utpote essent menstrua, et lochia post partum. Étymon porro haemorrhagiae ab *αιμα sanguis* et *ρηγνυμι irrumpere* vel etiam *ρεω fluere* propriam agnoscit fontem. Jam primo intuitu comperimus, nomine generico haemorrhagiae diversas adfectiones morbosas distingui, quae inter se forma non solum, sed indole omnino discrepant; hujuscemodi essent exhalationes cruentae absque ulcere, ruptura et erosione textus, *haemorrhagiae activae* Stahlii, *haemorrhagiae spontaneae* seu *idiopathicae auctorum;* et exhalationes vulnerum, ulcerum, et rupturae arteriarum atque venarum, nempe *haemorrhagiae trau-*

Digitized by Google

520

maticae; demum erosiones vasorum sanguiferorum in carcinomate, gangraena, et similibus seu *haemorrhagiae symptomaticae.*

In hacce tamen inaugurali dissertatione solummodo loquar de *haemorrhagiis idiopathicis*, aut de *irritatione haemorrhagica*, omissis *haemorrhagiis traumaticis*, et *symptomaticis*, quae foro chirurgico potissimum referri possunt.

Exhalatio sanguinis in superficie diversorum textuum pluribus adhuc obvelatur tenebris. Communis vigebat opinio inter pathologos, haemorrhagiam semper ab erosione aut ruptura vasorum originem agnoscere, et hacce ratione facile effusio cruenta explicatur. Ast observationes anatomicae pluries confirmarunt, quod in haemorrhagiis membranarum persaepe sub attenta inspectione, ope etiam lentis acutissimae, membranae, in quibus profluvium cruentum evolvebatur, nullum indicium ulcerationis, rupturae, aut laesionis cujuslibet generis ostendunt. Hisce observationibus innixi Galli quamplures arbitrantur in haemorrhagiis idiopathicis sanguinem deponi a capillaribus arteriosis eodem modo quo sanguis menstruus fluit; aut more secretionum sudoris, muci, seri et urinarum sanguinem ipsum secerni.

Digitized by Google

Ut tamen argumentum de haemorrhagiis idiopathicis, aliquo procedat ordine, et clarius evadat, optimum habeo, inprimis caussas haemorrhagiarum exponere, et dein ad symptomata et decursum earundem progrediar. Quibus positis, et judicium prognosticum, et rationale tractamen therapeuticum sponte derivari queunt.

Causae.

Haemorrhagiae *idiopathicae, spontaneae, irritativae*, vel *exhalatio sanguinea* omnia momenta causalia agnoscunt, quae phlogosim provocare valent. Juventus, virilitas, temperamentum eminenter sanguineum irritabile; sexus foemineus potissimum haemorrhagiis disponunt. Calor porro nimius, fervente Syrio; frigus intensum et siccum; loca elevata montana, et speciatim ventibus nordicis exposita; potus stimulantes vinosi, spirituosi; alimenta nimia copia, eminenter nutrientia et irritantia; animi pathemata improvisa et violenta persaepe evolutioni haemorrhagiarum favent. Labores nimii; cursus protractus; chorea; exercitia gymnastica et mechanica cujuslibet generis violenta aut diu protracta; traumata varia; operationes chi-

Digitized by Google

524

rurgicae diversae; pressio atmosphaerica inopinate imminuta in montibus altioribus quemadmodum tot causae haemorrhagiarum habentur. Hiscę omnibus addere possumus quod haemorrhagiae frequenter sequantur improvisam suppressionem cujuslibet profluvii habitualis, utpote essent haemorrhagiae quae a suppressione haemorrhoidum, catameniorum, lochiorum, vel a neglecto usu habituali phlebotomiae et hirudinum originem agnoscunt. Diximus paullo supra, foeminas prae maribus haemorrhagiis obnoxias esse; probabiliter haec dispositio in foeminis pendet a periodico fluxu menstruo; nam scimus menstruationem pluribus causis imminui, aut ex integro silere, et facili negotio haemorrhagias vicarias provocare. Inter momenta disponentia haemorrhagiarum, peculiaris conditio haereditaria recenseri debet, dum praxis omnium temporum pluries confirmavit haemorrhoides, haematuriam, epistaxim, et prae aliis haemophtysim jure haereditario in diversis individuis ejusdem familiae per plures generationes observatas fuisse. Quoque pro diversa hominum aetate observamus haemorrhagiam determinata organa frequentius praediligere, et reapse in infantibus, pueris atque adolescentibus saepissime epistaxis; in

Digitized by Google

juvenibus haemorrhagia organorum respirantium; serius in adultis haematemesis; porro in decremento et senectute haemorrhoides et haematuria prae aliis haemorrhagiarum speciebus frequentius praestare solent. Relate ad haemorrhagiam internam capitis, de more homines inter quinquagesimum et septuagesimum annum haemorrhagiae ipsae disponuntur. Nonnisi perraro ante et post hanc epocham haemorrhagia cerebralis evolvitur. Videtur etiam climata et temperies varia diversarum anni tempestatum manifestum exerere influxum in genesi singularum haemorrhagiae varietatum. Verum enim vero in regionibus borealibus gelidis, nec non tempore hiemali eminent haemorrhagiae ex haemorrhoidibus, utero et organis uropoeticis; e contra in locis calidioribus meridionalibus et aestivo tempore haemorrhagiae cavitatum narium et organorum respirantium, saepe saepius invadunt.

Symptomata et Decursus.

Haemorrhagiae, quemadmodum morbi fere omnes, in acutas et chronicas, continuas atque intermittentes partiuntur, atque pro diversa individuorum irritabilitate, pro vario

Digitized by Google

ſ3v

morbi gradu et praestantia organi patientis, diversa admodum symptomata idiopathica atque sympathica provocare solent. Generatim signa diagnostica haemorrhagiarum absque difficultate distinguuntur, nam casibus frequentioribus sanguis forinsecus per ostia naturalia corporis, aut etiam per cutaneum systema expellitur. Attamen in internis haemorrhagiis cavitatum et etiam quando sanguis in intimo organorum parenchymate cumulatur, tunc judicium diagnosticum anceps et difficile redditur. Quolibet casu, nimirum in haemorrhagiis tum internis tum externis persaepe symptomata observantur, per quae haemorrhagiarum praesentia dijudicari potest.

In haemorrhagiis acutis, eoque magis prima vice superaccedentibus, morbus fere semper praenuntiatur symptomatibus congestionis aut phlogoseos in illis organis, quibus sanguis fluere debet. Peculiaris sensatio tumiditatis, ponderis, pulsationis, caloris, et quandoque ipse dolor premens, gravativus, aut lancinans in parte ubi minitatur haemorrhagia potissimum aegros defatigant. Complexus horum phaenomenorum jam a practicis antiquioribus nomine *moliminis haemorrhagici* designabatur. Imminente haemorrhagia aegri frigore molesto agitantur; ast

Digitized by Google

paullo serius calor generalis auctus, pulsus frequentes, pleni, duri et dicroti in scenam veniunt. Demum haemorrhagia exoritur, et tunc si profluvium est modicum, de more symptomata congestionis nuper exposita pedetentim imminuuntur et disparent. In haemorrhagia profusa e contra pallor vultus, inquietudo maxima, jactatio artuum et totius corporis, sudor copiosus et frigidus primum in fronte et facie et dein in universa corporis superficie, frigus extremitatum, tinnitus aurium, obnubilatio sensuum internorum externorumque, lipothymiae atque syncopes recidivantes notantur. In haemorrhagia quidquam gravi pulsus antea durus, frequens, et plenus fit mollis et vacuus, sed frequentia augetur, quin imo aliquibus casibus pulsus maxima celeritate distinguitur. In hystericis, hypochondriacis, et sensibilioribus non raro, pervolvente haemorrhagia, convulsiones generales aut partiales manifestantur. Perstantibus hisce symptomatibus, medico licet existentiam haemorrhagiae internae dijudicare. Addere etiam possumus quod in haemorrhagia interna cranii pondus plumbeum capitis, sopor et paralysis artuum eminent; dum in haemorrhagia pectoris dyspnoea, tussis sicca, aut cum sputis cruentis prae-

Digitized by Google

stare consuescunt. Caeterum pro diversa parte, qua symptomata congestionis supra notata distinguuntur, etiam morbi sedes determinari potest.

In haemorrhagiis chronicis eoque magis pluries recidivantibus, sive eodem organo, sive in partibus diversis, nonnisi perraro symptomata congestionis atque universalis hypersthenicae quae aderant in primis morbi exordiis observantur. Veteres hisce casibus *haemorrhagias passivas* distinxerunt, eo quod credebant morbum ab initio activum et hypersthenicum, temporis lapsu indole mutatum fuisse. Rationi tamen consonum est, haemorrhagias idiopathicas tum acutas, tum chronicas eamdem semper indolem sibi vindicare, et nonnisi diverso gradu irritationis inter se differre. Quod si in chronicis haemorrhagiis nutritio totius individui et energia pulsuum imminuuntur, tamen in partibus adfectis semper aliquod indicium habitualis irritationis, aut chronicae phlogoseos observantur; hujuscemodi essent rubor, calor, et sensibilitas quidquam major quam in aliis corporis partibus. Observationes neotericorum confirmarunt, solummodo in scorbuto et traumaticis laesionibus cum ablata continuitate vasorum sanguiferorum, haemorrhagias omni intuitu passivas existere.

Digitized by Google

Haemorrhagiae persaepe ad temporis intervalla recurrunt, et hoc forsan pendet ex eo quod sanguinis effusio valdopere intensitatem irritationis imminuit, per quam haemorrhagia promovetur, et hinc necesse est, ut nova exacerbatio irritationis atque nova congestio superveniat, ut profluvium cruentum denuo evolvatur. Mirandum sane est quod, nova superveniente haemorrhagia in aliqua corporis parte, frequenter haemorrhagiae antea vigentes imminuantur vel etiam sileant.

Decursus haemorrhagiarum eminenter variat; etenim dantur haemorrhagiae quae solummodo per aliquot horae momenta apparent, et aliis casibus per menses et annos protrahuntur. Aliquibus individuis adsunt haemorrhagiae quodammodo necessariae ad sanitatem tuendam; quemadmodum forent, epistaxis in juvenibus robustis, et fluxus haemorrhoidalis in hominibus torosis atque apoplexiae dispositis. In aliquibus morbis gravibus, haemorrhagiae observantur spontaneae, levantes, et criticae; necesse tamen est quod profluvium cruentum in acmine aut morbi decremento superveniat, ut aegri ad pristinam sanitatem restituantur, caeteroquin in cruditate morbi haemorrhagia potius

Digitized by Google

594

quam afferre levamen aegrotantis, morbum graviorem facit.

Casibus frequentioribus haemorrhagiae idiopathicae morbum semper plus minusve gravem sistunt. Perraro haemorrhagiae externae aegrotantes enecare solent, nisi forte sanguis maxima copia profluat; attamen temporis lapsu per hasce haemorrhagias diversae alterationes superveniunt, quae vitam minitari possunt. Haemorrhagiae porro quae in interna organorum compage et intimo viscerum parenchymate evolvuntur fere semper maximo vitae discrimine complicantur, et quandoque mortem ipsam de repente afferre solent.

Prae aliis textibus humani corporis membranae mucosae substratum haemorrhagiarum largiuntur. In superficie earundem membranarum occurrunt haemorrhagiae quodammodo in aliquibus individuis necessariae ad sanitatem tuendam (fluxus haemorrhoidalis et epistaxis). In hisce membranis fere semper haemorrhagiae levantes seu criticae apparent. Demum in membranis mucosis quoque frequentiores haemorrhagiae morbosae propriam agnoscunt sedem. Vitalitas maxima harum membranarum, textus facile permeabilis, insignis copia vasorum earundem et demum

Digitized by Google

superficies tunicae mucosae levissimo epitelio obtecta facili negotio frequentiam haemorrhagiarum in membranis mucosis explicare valent. Singulae regiones membranarum mucosarum et phlogosi et haemorrhagia aggredi possunt. Effusiones cruentae harum partium frequenter apparent de repente et quidem simpliciter symptomaticae phlogoseos partis adfectae v. g. haemorrhagiae conjunctivae, aurium, oris, pharyngis, laryngis et caetera; alias haemorrhagiae morbum primitivum et essentialem constituunt, utpote forent haemorrhagiae narium, tunicae mucosae pulmonum, ventriculi, intestinorum, cystidis et uteri. Inficiandum tamen non est, interdum diversas haemorrhagias membranarum mucosarum identicam naturam sibi vindicare, et modo crisim beneficam largiri, modo phlogosim simpliciter comitari.

Haemorrhagiae superficiei cutaneae raro occurrunt, nam crassities et compages cutis atque praesentia epidermidis effusionibus cruentis valdopere opponuntur. Nihilominus in typho gravi, scorbuto, atque foeminis gestantibus haemorrhagiae cutis sub forma peticularum, vibicum, atque echymosium exoriri possunt. In foeminis gestantibus de more haemorrhagiae cutaneae tibias, et cru-

536

ra praediligunt. In amenorrhoicis vero dantur haemorrhagiae in diversis cutis regionibus, quae ad intervalla recurrunt, et catameniorum vices luculenter gerunt. Auctores varii etiam *de sudore cruento* loquuntur; attamen exempla hujuscemodi sunt admodum rara, et pro maxima parte ab improviso animi pathemate, et potissimum a terrore subitaneo originem agnoscunt. Observantur in praxi etiam haemorrhagiae systematis nervosi, textus cellularis et membranarum serosarum. Inter haemorrhagias systematis nervei frequentissime notatur haemorrhagia cerebri, seu apoplexia cerebralis. Rarius sanguis in parenchymate cerebelli effunditur; rarissime demum haemorrhagia in medulla spinali observatur.

Haemorrhagiae textus cellularis solummodo distingui possunt, quoties regiones subcutaneas aggrediantur. Sub cadaverum sectione tamen effusiones cruentae in textu cellulari circa musculos, viscera et cavitates internas reperiri possunt. Haemorrhagiae subcutaneae individua temperamenti sanguinei, plethorici praediligunt, et quamvis in universo corporis ambitu evolvi sinant, nihilominus faciem, et potissimum palpebras atque frontem occupare solent. Haemorrhagiae subcutaneae, li-

Digitized by Google

cet nullo vitae periculo incedant, tamen insignem dispositionem in congestiones activas et reliquas haemorrhagias patefaciunt. Haemorrhagiae membranarum serosarum fere semper phlogoses earundem complicare solent.

Necroscopia.

Characteres anatomici haemorrhagiarum sommopere discrepant, prouti sanguis e corpore exeat, vel in parenchymate partium adfectarum colligatur. Interdum aegrotantes plus minusve ocius vel serius extremo aggrediuntur fato ex anemia, quin fabrica organi patientis, in quo aderat haemorrhagia a normali tramite recedat. Hisce casibus decoloratio manifesta cutis, membranarum mucosarum, et pallor etiam omnium organorum unicum characterem anatomicum praegressae haemorrhagiae constituunt. Alias observantur indicia congestionis praegressae in partibus adfectis, quemadmodum essent maculae diversae plus minusve elevatae coloris rubro-purpurei in centro et pallidiores in eorum periphaeria. Frequentius in haemorrhagiis indicia et posthuma phlogoseos antea existentis eminent, et tunc praeter ruborem et consistentiam adauctam vel imminutam organorum,

Digitized by Google

534

vasa capillaria sunt pro maxima parte obturata et injectiones de arteriis ad venas procedere haud possunt, vel saltem maxima tantum difficultate ulterius transire queunt.

In sectione cadaverum haemorrhagiis chronicis peremptorum quandoque vasa conspiciuntur abrasa, ulcerata, aut irregulariter lacerata; sed hisce casibus aegrotantes carcinomate, aut degeneratione organica diversarum partium a longo tempore fere semper laborabant. In haemorrhagiis internis sanguis modo in diversis cavitatibus varia copia cumulatur, modo sub forma cystidis in intima organorum compage colligitur.

Prognosis.

Judicium prognosticum in haemorrhagiis summopere variat pro diverso gradu haemorrhagiarum, pro varia morbi sede, atque decursu pariter vario. Haemorrhagiae leves, externae in juvenibus sanis et ex causa facile removenda generatim prognosim felicem exposcunt. Haemorrhagiae vicariae, nec non haemorrhagiae leves quae sponte in acmine et decremento morborum indolis hypersthenicae evolvuntur pariter boni ominis evadunt.

Quod si adsint haemorrhagiae profusae,

Digitized by Google

vel collectio fiat cruenta in intimo parenchymate viscerum nobilium, tunc prognosis erit non solum anceps, sed generatim valde infausta. In senibus, in cachecticis et morbis chronicis laborantibus haemorrhagiae, ceteris paribus, sunt magis pertimescendae.

Cura.

Contra haemorrhagias essentiales seu idiopathicas eadem suadentur adminicula therapeutica, quae generatim in congestionibus activis atque phlogosibus conveniunt. Energia tractaminis vero singulis casibus modificari debet pro diverso morbi gradu et decursu, nec non pro varia organi patientis nobilitate atque viribus aegrotantium. Potus refrigerantes, sanguinis depletiones generales atque locales, et revellentia in locis remotis a sede haemorrhagiarum, casibus frequentioribus in haemorrhagiis activis integram therapiae paginam absolvunt. Observationes omnium temporum nos docent, potus frigidos et acidulos, medicamina quae adstringente virtute donantur et prae aliis acida mineralia diluta, et glaciem ipsam in haemorrhagiis fere omnibus optime conducere. Ipsa martialia et secale cornutum in

Digitized by Google

540

diversis haemorrhagiis pectoris, abdominis, aliarumque partium insigne levamen aegrotantibus afferunt. Novissimis temporibus *ergotina* sive *extractum haemostaticum secalis cornuti* forma pilularum ad grana duo vel tria qualibet vice quater vel amplius in die repetenda consulebatur. In haemorrhagiis tum acutis, tum chronicis profusis quandoque necesse est adstringentia non solum interne periclitari, sed etiam externe directe in regionibus patientibus admovere. Huic scopo glacies, succus catechù, gummi kino, colophonium et ipsa mechanica partium compressio opitulantur. Quando in externis haemorrhagiis adstringentia topica et mechanica compressio haud sufficiant, medico licet causticum potentiale vel etiam actuale praescribere.

Vidimus haemorrhagias frequenter ad temporis intervalla recurrere. In profluviis cruentis periodicis chinacea nonnunquam prae aliis medicaminibus optime conducunt.

In haemorrhagiis ex suppressione catameniorum vel haemorrhoidum, omnium primum eo nitendum est ut fluxus habitualis suppressus denuo recurrat. Nil mirum proinde si in puellis amenorrhoicis haemorrhagiae pectoris, aliarumque partium per martialia,

Digitized by Google

aloetica, pediluvia sinapisata, aliaque emenagoga feliciter devincantur. Pariterque dum fluxus haemorrhoidales per aloetica flores sulfuris et hirudines ad anum adplicitas denuo recurrunt, non raro haemorrhagiae gravissimae devinci possunt.

Haemorrhagiae criticae et levantes, dummodo vires non exhauriant, de more fomentationibus tepidulis, balneis vaporosis, emollientibus atque similibus sunt promovendae.

Plura certe adsunt quae monographiae haemorrhagiarum referri solent. Ast haec omnia singulis haemorrhagiarum speciebus accommodari debent, et hinc libenter de hisce omittam, eo quod tantum in mente habui hacce inaugurali dissertatione *de haemorrhagiis generatim perspectis* notiones exponere.

FINIS.

Digitized by Google

542

THESES DEFENDENDÆ.

I.

Dari peticulas absque typho petechiali.

II.

Haemorrhagias idiopathicas semper indolem irritativam hypersthenicam sibi vindicare.

III.

Injectiones ammoniae dilutae in amenorrhoea optime conducere.

IV.

Prognosim in vulneribus, caeteris paribus, pro climatum diversitate modificandam esse.

Digitized by Google

V.

Haemorrhagias pro diversa hominum aetate, diversas praediligere partes.

VI.

Methodum naturalem in plantarum divisione, intuitu medico, systematibus artificialibus praestare.

99 939386 Google